

illum, an illum invadat, quando utrumque non potest: utrum emat voluptatem luxuria, an pecuniam servet avaritia: utrum ad circum pergat, an ad theatrum, si uno die utrumque exhibeatur: addo etiam tertium, an ad furtum de domo aliena, si subest occasio: addo et quartum, an ad committendum adulterium, si et inde simul facultas aperitur, si omnia concurrant in unum articulum temporis, pariterque cupiantur omnia, quae simul agi nequeunt. Discerpunt enim animum sibimet adversantibus quatuor voluntatibus, vel etiam pluribus in tanta copia rerum, quae appetuntur, nec tamen tantam multitudinem diversarum substantiarum solent dicere: ita et in bonis voluntatibus. Nam quaero ab eis, utrum bonum sit delectari lectione Apostoli; et utrum bonum sit delectari psalmo sobrio; et utrum bonum sit evangelium disserere? Respondebunt ad singula: Bonum. Quid si ergo pariter delectent omnia, simulque uno tempore? Nonne diversae voluntates distendunt cor hominis, cum diliberatur, quid potissimum arripiamus? Et omnes bonae sunt, et certant secum, donec eligatur unum, quo feratur tota voluntas una, quae in plures dividebatur. Ita etiam, cum aeternitas delectat superius, et temporalis boni voluptas retentat inferius, eadem anima est non tota voluntate illud, aut hoc volens, et ideo discerpitur gravi molestia, dum illud veritate praeponeat, hoc familiaritate non ponit.

CAP. XI. LUCTA SPIRITUS ET CARNIS IN AUG.

Sic aegrotabam, et excruciar, accusans memetipsum solito acerbius nimis, ac volvens, et versans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, sed tenebar tamen. Et instabas tu in occultis meis, Domine, severa misericordia, flagella ingeminans timoris, et pudoris, ne rursus cessarem, et non abrumperetur id ipsum exiguum et tenue, quod remanserat, et revalesceret iterum, et me robustius alligaret. Dicebam enim apud me intus: Ecce modo